



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. V. De Pœnitentiis, & Remissionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

Quamvis pater ex necessitate posset filium tenere ad Baptismum, ut in *c. ad limina*, 30. *qu. 1.* & Abb. notat in *d. cap. Si vir, de Abb.* Est rex. in *c. Non licet, de Consecr. d. 4.* Sed nec Monachi possunt ad hoc munus vocari. *§. Parentes, cap. Placuit*, 16. *q. 1. c. Pervenit*, 18. *q. 2.* & dixi in dictis meis Decisionibus *De Baptismo, Decis. 40.* ubi plene. Insuper Vir, & Fœmina, unus, vel una debet ejusdem confirmandi Patrinus esse, *§. Admonendi, hic, c. Plures, de Consecr. d. 4.*

Quò ad Postremum. Operatur hoc Sacramentum augmentum gratiæ, & hominem validiorem reddit ad obstitendum inimico naturæ humanæ, *cap. 1. & tot. tit. de Consecr. d. 5.* ut etiam supra diximus. Characterem imprimit, ita ut semel tantum conferatur. *§. Commune, hoc tit. d. c. Non licet, de Consecr. d. 4.* Et tandem contrahitur Cognatio spiritualis inter Patrem, & Matrem confirmati, & ipsum confirmatum, & Patrinum, & confirmantem, *d. cap. 2. de Reform. Matrim. sess. 23.* Et de hac spirituali Cognatione, vide plura scitu digna in dictis meis Decisionibus *de Baptismo, decis. 37. & decis. 40.* ubi resolvitur, An ipsa contrahatur à Parrino mittente Procuratorem? vel à Procuratore puerum suscipiente in Sacramento?

TIT. V.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

Quoniam homini Christiano non sufficit propter humanam imbecillitatem Sacramentum Baptismi, & Confirmationis, cum sæpillime ob peccata homo amittat gratiam, quæ per Pœnitentiam, & peccatorum remissionem recuperatur, ob id nunc de hac materia tractatur, & videbimus:

1. Quid sit Pœnitentia?
2. Ad quid instituta?
3. Quot sint Pœnitentiæ species?
4. Ex quibus constet?
5. A quibus imponatur?
6. Quibus?
7. Quid sit Remissio?
8. Qui possint peccata remittere?

Quò ad Primum. Licet Pœnitentiæ nomen sit genericum, & id præferatur, quod est priori voluntati contrarium, tamen præcise hic accipitur, & potest dici, ut sit *Sacramentum Contritionis, Confessione, Satisfactione constans, quod peccatorum remissionem tribuit*; & est effectum verum Sacramentum post Christi adventum, ut *hic in princ. & sess. 14. c. 1. de Necess. & Instit. Sacram. Pœnit. in Conc. Trident.*

Quò ad Secundum. Fuit ad hoc inventa, quia cum sit hominum conditio infirma, itaut non possint peccata de facili evitare, hoc remedium gratia jam amissa recuperatur, & est quasi tabula periclitantibus, & reconciliatio cum Deo. *§. Multiplex, hic, supr. d. sess. 14. cap. 3.*

Quò ad Tertium. Tres sunt species Pœnitentiæ, *Solemnis, Publica, & Privata.* Prima est, quam Episcopus imponere solet propter majora scelera, & semel tantum imponi solet, & sic pœnitentes ordinari non debent. *§. Sunt, hoc tit. c. 1. de Bigam. c. Ex Pœnitentib. 50. d.* Publica est illa, quæ publicè nulla Juris solemnitate servata injungitur, ut est Peregrinatio, certi habitus delatio, & hujusmodi. *§. Publica, hic, cap. Ex 24. sess.* Privata verò est illa, quæ in occulto Deo fit, & Sacerdoti tanquam Dei ministro, & hæc saltem semel in anno à quolibet fidei facienda est. *§. Privata, hoc tit.*

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

Quò ad Quartum. Pœnitentia, constat ex cordis contritione, quæ nihil aliud est, quam dolor pro peccatis commissis voluntarie assumptus, cum proposito confitendi, & satisfaciendi. Ex oris confessione, per quam scilicet morbus latens spe veniæ aperitur. Et ex operis satisfactione, quæ est secundum Justitiæ qualitatem, & quantitatem compensatio, *c. Satisfactio, de pen. d. 3.* facit *cap. Perfecta, eod. d. & §. alii, & §. Ex his, de Pœnit. diff. 1.* Sunt qui addunt consistere etiam ex absolutione, quæ est liberatio à peccatis facta ab habente auctoritatem per verba idonea.

Quò ad Quintum. Pœnitentia solemnis à solo Episcopo imponitur, *d. §. Sunt autem.* Si de publica tractatur, & ipsa imponitur ex Episcopi auctoritate. Si de privata agimus à privatis Sacerdotibus, qui tamen ab Episcopis approbantur. *§. Privata, hoc t. c. Si Episcopus, de Pœnit. in 6. §. Si quis, hoc eod. tit.*

Quò ad Sextum. Pœnitentia imponi solet his, quibus displicet peccata commisisse, etiam si ad ultimum supplicium damnentur. Quibus etiam Eucharistiæ Sacramentum non denegatur. *§. fin. hic, Clement. 1. & cap. Quærenti, de Verb. significat.*

Quò ad Septimum. Remissio nihil aliud est, quam exoneratio, & relevatio, atque à peccato liberatio. Etenim qui remittit, liberat, *l. 1. Cod. de Remiss. pignor.*

Quò ad Postremum. Episcopi, Sacerdotes, & illi, qui sunt ab Ordinariis approbati, peccata remittere poterunt, quibusdam exceptis, quorum remissio est reservata Summo Pontifici, vel Episcopo, *cap. Ejus, sess. 14.* Ut si pœnitens Clericum læserit enormiter, *cap. Si quis suadente, 17. q. 4.* Aut Ecclesiam combusserit, vel fregerit, quo calu si est denunciatus à solo Pontifice potest absolvi, quamvis ante denunciationem etiam Episcopus possit absolvere, *c. Compuncti, & c. Tua, de Sentent. excomm.* Aut fallum commiserit, *cap. Dura, §. fin. de Crimin. falsi.* Aut Cardinalem, vel Episcopum insequutus fuerit, *c. Felicis, de Pœnit. in 6. c. Si quis, eod. tit. in 6.* Aut cum Moniali rem habuerit, & aliis casibus, de quibus notatur in *c. Si Episcopus, eod. in 6.* Et supra nominati casus referuntur in *§. Illud, loc. cit.* Et nota quod unusquisque semel in anno saltem debet confiteri. *§. Privata, cap. Omnis, de Pœnit. & Remiss.* Et Confessor debet tacere confessionem, alias si ipsam revelet, perpetuò detruditur in Monasterium. *§. Sed si, hoc tit.* Cum simul & Medici, qui ægros ad pœnitentiam non inducunt, ab ingressu Ecclesiæ sunt arcendi. *§. Medicos, hic.* Quamvis hoc non sit observatum; ut per Gloss. *ibi in verb. arcebitur.* Ac tandem unum notare debes, quod in casu necessitatis etiam is consequitur veniam, qui confessus fuerit sua peccata illi, qui non habet auctoritatem absolvendi, & hoc ex desiderio Sacerdotis, & vigore suæ contritionis; non ex eo, quod illa confessio sit Sacramentalis, per regulam, quod necessitas facit reputare affectum pro effectu. *§. Sed etsi, hoc tit.* Sed de hac questione, An, absente Sacerdote, sit in casu necessitatis confitendum laico? Vide meas Decisiones *de Sacram. Pœnit.* in quibus *Decis. 18.* de hac plene disserui; exempla curiosa adduxi, & opinionem negativam ob plures rationes, ac auctoritates tenui. Item & si quis habuerit animum confitendi, sed propter sævitiam morbi non poterit id facere, potest tamen absolvi. *§. penult. hic. cum simil.* Et vide, quæ super hoc traduntur per Conc. Trid. *sess. 14. c. 9. de Pœnit.*

D 2

TIT.